




* Diese Ausg. 10 g
Lg

1035



EXERCITATIO PHILOSOPHICA
De
ANIMA SEPA-
RATA,

Quam
Auspice & Adjutore Divino
Numine,
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Amplissimi atque Excellentissimi
DN. JOHANNIS ZEISOLDI,
in Illustri Salana Philosophiæ Naturalis Professoris
Publici Honorarii Celeberrimi, Dn. Præceptoris & Pro-
motoris sui debitæ observantiæ cultu nunquam
non prosequendi, devene-
randi,

*Publico placidoq; eruditorum examini
exponit*

HENRICUS Bröselmann/
Tremonia-Guestphalus.

Ad diem Februarii.
Anni MDCCCLVII.
Loco & Horis consuetis.

7 E N Æ
Prelo N I S I A N O.

Nobilissimis, Amplissimis & Con-
sultissimis

V I R I S

DN. HENRICO SEVERIN,

DN. HENRICO Lyden//

J. U. Doctoribus celeberrimis, & Practicis,
Illi apud Hattnegganos, Huic apud Tremonia-
nos, eminentissimis:

Dn. Affini, & Dn. Cognato, Meccenatibus
atque Patronis suis observanter suspiciendis,
colendis,

Exercitationem hanc Philosophi-
cam, obsequii & debitæ observantiæ in-
dicem,

adscribit

HENRICUS Bröckelmann//
Aut. & Resp.



יְהוָה אֱלֹהֵינוּ

EXERCITATIONIS PHILOSOPHICÆ

De

ANIMA SEPARATA.

Sectio prima,

Demonstrans ejus existentiam.

§. 1.



E Anima Separata disquisitionem institutu-
ri, operæ pretium haud esse putamus, expo-
sitioni terminorum diu, ut plerumque fieri
solet, immorari. Modò prænotetur, *duplicem esse animæ rationalis statum; informa-
tionis videlicet, quem aliàs statum conjun-
ctum vocare solent, & separationis. Status
conjunctus ille est, quò anima nostra suo jun-
cta est corpori, cum eoque hominem in sua specie constituit; Sta-
tum separatum illum dicunt, in quo anima nostra post mortem
à corpore sejuncta degit.*

§. 2. Dari autem talem animæ rationalis statum, quo ipsa
realiter & physicè à corpore suo abjuncta sit, ac per se existat, &
Fides docet, & Ratio monstrat. Cui quidem orthodoxæ senten-
tiæ nullo non tempore homines ignorantia caligine & falsâ men-
tis persuasione excecati sese opposuerunt, & quidem diversi-
modè.

§. 3. *Alii* enim animam simul cum corpore extingui pu-
târunt; *Alii* ipsam quidem aliquandiu permanere, sed tandem
dissipari statuerunt; *Alii* denique animarum *μεταβασις ἐν ἑσθ-
ρωτάτῃ* excogitârunt. Prioris sententiæ adstipulatores fuère
Epicurus, & adsecla ejus *Lucretius*, ut videre est ex *libr. 3.* quem
de natura rerum scripsit. *Quin imò*, ut loquitur *M. Tullius libr. 1.*

A 2

Tusc.



*Tusc. quest. tom. 4. Edit. Gothofred. col. 181. lit. F. caterve veni-
unt contradicentium non solum Epicureorum, sed etiam Dicaar-
chus contra hanc immortalitatem disseruit, & tres libros scripsit,
qui Lesbiaci vocantur, in quibus vult efficere, animos esse mor-
tales.*

§. 4. Sic olim *Sadduceis* non poterat persuaderi, animas
hominum post mortem superstites manere, ideò resurrectionem
mortuorum redarguebant, innixi hac falsà hypothesi, quia non
possent tot possessores iisdem rebus frui, quas antea tenuissent,
sive essent uxores, sive domus, agri, aut alia. Nec minus absona
hæc videbantur *Plinio*, irridenti *lib. 7. nat. hist. c. 55.* sententiam
de mansione perpetua animæ rationalis. Verba ejus sunt: *Omni-
bus à suprema die eadem, quæ ante primum: nec magis à morte
sensus ullus aut corpori aut animæ, quàm ante natalem.* Et paulò
post: *Puerilium ista deliramentorum, a videq; nunquam desinere
mortalitatis commenta sunt.* De quibus verbis sic loquitur
*Steph. Aquæus comment. in h. l. fol. 98. f. 1. Putabat Plin. Animas
cum corpore morituras, etsi certò scisset, Cicer. 1. Tuscul. l. 1. asse-
ruisse, esse animas immortales.*

§. 5. Hunc etiam errorem quàm plurimi olim tribuerunt
Aristoteli, sicuti illi recensentur à *Dd. Conimbricensibus de Anima
Separata disp. 1. arr. 2. & Francisco Murcia de Llana super lib. 3.
de anima disp. 1. q. 1. p. 159.* Ipsius autem *Aristotelis* susceperunt
patrocinium magni nominis Philosophi, tam veteres, quàm re-
centiores non pauci, inter quos, secundùm *Conimbricenses*, est
*Theophrastus, Olimpiodorus, Ammonius, Philoponus, Simplicius,
Avicenna, Thomas, Alb. Magnus, Egidius, Durandus, Ferrari-
ensis & Eugubinus*, quibus addi possunt ipsi *Conimbricenses &
Francisc. Murcia dd. ll. item Aloysius Luisinus Medicus Vtinen-
sis lib. 1. de compescend. animi affectibus cap. 2. p. 9. Benedict. Pe-
rerius lib. 6. de forma cap. 19.* & alii plurimi, qui animæ immor-
talitatem ejusque à corpore separationem ex *Aristotele* luculen-
ter probârunt.

§. 6. Nec liber fuit ab ista falsa opinione *Sedes Papalis*,
ut testatur *Concilium Constantiense sess. 11. tom. 4.* Meminit enim
de *Johanne XXII. (qui sedit circa Annum 1410.) quod sæpè & sæ-
pius*

pius coram diversis prelatiſ & aliis honeſtiſ ac probiſ viriſ perti-
naciter, Diabolo ſuadente, dixerit & aſſeruerit & dogmatizave-
rit, vitam eternam non eſſe, nec aliam poſt hanc vitam; quodq;
dixerit & pertinaciter crediderit, animam hominiſ cum corpore
humano mori & extingui ad inſtar animalium brutorum, recen-
ſente B. Gerhard. Confefſ. Cathol. tom. 1. lib. 1. part. 2. c. 2. p. 238.

§. 7. Secundam ſententiam foverunt Stoici aſſerentes, a-
nimas noſtras poſtquam è corpore exceſſerint, manere quidem diu-
tius ſuperſtites, quia ſunt ignea nature, ſed non ſemper, volitare
enim illaſ aliquot ſeculiſ in hoc aere, & tandem cen fumos diſſipari.
Cicero l. o. Conimbr. d. 1. art. 1. & Philip. Melanchthon. de ani-
ma p. m. 168.

§. 8. Tertia ſententia tribuitur communiter Pythagora.
Cum enim hic à præceptore ſuo Pherecide Syro audiviſſet, ani-
mam eſſe immortalē ſive ſempiternam, nec tamen percepſſet,
quem in locum poſt abitum à corpore migraret, introduxit με-
τεμψύχωſιν. Hinc eum Ovidiuſ 15. Metamor. fab. 3. ita loquitur
introducitur:

*Morte carent anima: ſemperque priore relicta
Sede, novis domibus vivunt, habitantque recepta.*

Item:

*Omnia mutantur: nihil interit. Errat, & illinc
Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus, eque feris humana in corpora tranſit,
Inque feras noſter: nec tempore deperit ullo.*

§. 9. A Pythagora perveniſſe hanc opinionē ad Platonē ejuſq; di-
ſcipuloſ, item ad Hiarchaſ, Brachmanes, Zoroaſtrem, Triſgemi-
ſtum & Apollinem Thiannaum, tradunt Conimbricenſeſ in libr. 2.
de Gen. & corr. c. 11. q. 1. art. 1. Quanquam de Platone nondum
conveniat inter Dd. an propriè, an verò allegoricè μετεμψύχωſιν
propugnârît? Quòd verò Brachmanes Indorum olim cum Pla-
tone hac in re idem ſenſerint, teſtiſ eſt Strabo libr. 15. Geograph.
p. 473.

§. 10. Nec eſt, quur dubitemuſ, opinionem illam de trans-
migratione animarum de corpore in corpus inter Judæoſ olim
fuiſſe vulgatiffimam, imò etiam à Phariſeïſ & Manicheïſ credi-

nam & receptam, cum illud B. Slevoge, Philosophus olim in hac A-
cademia acutissimus, in accurata Disq. Philolog. de Metempsychosi
Judeorum, solidè nobis probatum, & ex multis priscis autoribus,
sub quibus plurimi sunt sapientes scrutationis Judæorum, ab ipsis
חכמי המחקר dicti, & Rabbinii vel Theologi, monstratum reli-
querit, ut ibi prolixè videri potest.

§. 11. Ut autem hujus tertiæ sententiæ patrōni errone-
am suam transanimationis doctrinam statuerent, dixerunt,
μετεμψύχωση hanc in omnibus contingere pro ratione antè a-
ctæ vitæ, & eos, qui cantui dediti fuissent, fortiri corpora lusci-
niarum, olorum, aliarumque ejusmodi cantatricium avium; qui
fœdis voluptatibus, in porcos, qui latrociniis, in lupos, qui ira-
cundiæ, in serpentes, qui audaciæ, in leones, qui fraudibus, in vul-
pes degenerare. Orpheum in cygnum abiisse, Animam Thamy-
ræ philomelam affectâsse, Ajacis leonem, Agamemnonis aquilam,
Thersitis simiam. Vid. Colleg. Conimbr. d. l. Quamvis au-
tores harum opinionum inter se adhuc disconveniant. Alii e-
nim hanc transmigrationem animarum intelligunt solum de
animabus impiis; Alii de animabus ratione præditis in genere;
Alii denique de animabus tam hominum, quam brutorum. Ali-
ter discrepant, quando aliqui animas humanas ad alios homi-
nes; aliqui ad corpora pecudum, & id quidem ratione modò al-
legatâ, transire; aliqui animarum revolutionem stabilire volunt,
ut videlicet anima hominis, relicto corpore mortuò, subinde in
aliud atque aliud corpus genitum immigret, atque ita se circum-
ferat per omnia corpora terrestria, marina & volucra, donec
post annorum tria millia hunc circuitum absolvat, & ad corpus
hominis geniti redeat, quemadmodum hæc opinio tribuitur E-
gyptiis ab Herodoto in Enterp. l. 2. c. 123. p. 137. Edit. Francofurt.

§. 12. Cæterum, quicquid hi autores de existentia
animæ separatæ statuerint, sive existimârint illam immigraturam
in corpus aliud; sive dixerint, unâ cum corporibus extingui; sive
asseruerint, tandem in aëre dissipari, est error deformis & absur-
dus, cui ut occurramus, aliquibus conclusionibus contrariam ve-
ramque sententiam exponemus.

§. 13. Conclusio I. Anima rationalis simul cum corpore
non

non extinguitur. Hanc sententiam olim tenuerunt, docuerunt,
& post se reliquerunt ipsi Philosophorum principes, *Plato & Ari-*
storeles, ut & plurimi alii summæ eruditionis homines. Ut jam
nihil dicam de plurimis gentibus barbaris, qui itidem agnovère,
animam simul cum corpore non interire, sed post mortem su-
perstitam manere, quos adducit *Dn. Calixtus B. R. in libro de im-*
mortalitate animæ &c. cap. 1. De Platone nullum est dubium,
cum ex proposito hanc rem tractarit in *Phiedone, Phadro, Timeo,*
Philebo, & libris de Republ. unde & acerrimus animorum im-
mortalitatis propugnator & vindex à *Conimbricensibus* dicitur.
lib. de an. separ. disp. 1. art. 1.

§. 14. Nec res incerta est apud *Aristotelem*; semper enim
posuit animas nostras ab interitu alienas, atque omnis mortali-
tatis expertes. Sic *lib. 1. de anima cap. 4. t. 65. & 66.* ait, intelle-
ctum nostrum esse incorruptibilem, divinum & impassibilem. In
2. lib. cap. 2. t. 21. scribit, intellectum aliud quoddam genus ani-
mæ esse à sentiente & vegetante distinctum, quod ab eo, quod oc-
cidit, separari & seungi possit, sicut perpetuum à corruptibili.
In *3. lib. cap. 5. t. 20.* appellat intellectum immortalem & perpe-
tuum. Præterea *12. lib. Metaph. c. 3. t. 17.* inquit, nihil prohibere,
quo minus dissolutio compositio aliqua forma permaneat, non
omnis tamen, sed *ó vñs.* Verùm nostri instituti nunc non est o-
mnia Aristotelis loca, incorruptibilitatem animæ inculcantia,
hic recensere; qui igitur volet, copiosè illa videat in Operi-
bus suis.

§. 15. Possent adhuc alii Magni Philosophi immortali-
tatem animæ asserentes in medium produci; Verùm haud opus
esse censemus, autoritatibus humanis diu immorari, quum ad
probendam & statuminandam conclusionem non solum in-
promptu sint evidentissimæ rationes Philosophicæ, verùm ipsæ
quoque nobis succurrant Sacræ Literæ. *Primò:* Scriptura S. tradit,
docetque, quod corpus quidem occidatur, anima verò occidi ne-
queat, *Matth. 10. v. 28.* Sic latro in cruce, quanquam se cum Chri-
sto moriendum esse videret, tamen agnoscit, animas non simul
cum corpore extingui, idcirco petit vitam æternam, & audit vo-
cem lætificam; *Hodie mecum eris in paradiso, Luc. 23. v. 42. 43.*

§. 16.

§. 16. Inveniuntur nonnulli afferentes, immortalitatem animæ nostræ nec ab ullo Philosopho demonstratam aut firmiter probatam esse, nec posse naturaliter probari, sed fide tantum à nobis credi; inter quos, referentibus *Conimbricenses d. l. art. 3. & Pererio l. c. cap. 20.* fuit *Scotus lib. 4. sent. d. 43. q. 2.* & *Cajetanus in Expositione super cap. 3. Ecclesiast. sub finem, & in cap. 9. Epist. ad Rom.* Id verò nec credendum est, nec ferendum Philosopho, cum nunquam defuerint rationes, quibus magni semper Philosophi sententiam de animæ incorruptibilitate & immortalitate corroborarint. Horum vestigia sequentes nos, animæ rationalis immortalitatem probabimus sequente modo.

§. 17. Supponimus autem 1. sermonem esse de corruptione naturali, quæ ex causis procedit naturalibus, & modo institutioni Naturæ conveniente; non de ea corruptione aut corruptibilitate, quæ omnes creaturæ subjacent potentæ Dei, qua destrueri eas & à medio tollere potest. Supponimus 2. primam corruptibilitatis radicem esse materiam. Ubi enim hæc, ibi potentia contradictionis, h. e. ad esse & non esse; Ubi materia ibi potentia patiendi & intereundi, *lib. 1. de Cælo c. ult. t. 136. lib. 1. de gen. & corr. cap. 7. t. 51. & lib. 7. Metaph. cap. 7. t. 22.* Igitur quicquid participat materiam, aut saltem ab ea quæ fieri, esse & operari habet dependentiam, illud est passibile & corruptibile. Contrà verò, quicquid est expers materiæ & dependentiæ ab ea quæ fieri, esse & operari, illud est expers passibilitatis & corruptibilitatis. Jam subsumimus: Anima rationalis est expers materiæ, ut & dependentiæ ab ea, quæ fieri, esse & operari. Ergo anima rationalis est incorruptibilis.

§. 18. Probatio hæc est à priori, & firmissima demonstratio. Datur enim sic causa proxima & propter quam incorruptibilitatis. Nam quærenti, propter quam causam hoc ens (e. g. Spiritus vel substantia spiritualis) est incorruptibile, rectè respondetur, propter immaterialitatem sive independentiam à materia; sicut ex opposito quærenti, cur hoc ens, (ut corpus) sit corruptibile, respondendum erit, propter materialitatem. Et hoc pacto fiunt demonstrationes oppositarum affectionum de subjectis specie distinctis.

§. 19.

§. 19. Vel possumus 2. uti hoc argumento : Omnis spiritus (substantia spiritualis) est incorruptibilis & immortalis, quia incorruptibilitas est affectio demonstrata de spiritu, sicut corruptibilitas est affectio demonstrata de corpore naturali & habente dependentiam à materia. Sed Anima rationalis est spiritus. Ergo anima rationalis est incorruptibilis & immortalis. Minor patet ex *Sacra Scriptura, Eccles. 12, 7. Ps. 31, 6. Luc. 23, 46. Act. 7, 59.*

§. 20. Probatur 3. Omne quod naturâ suâ est corruptibile primò corruptibilitatis modò (suprà §. 17. expositò) illud quoq; à causa naturali & modò naturali corrumpi potest. Sed anima rationalis à causa naturali & modò naturali corrumpi nò potest. Er. anima rationalis naturâ suâ non est corruptibilis, intellige, juxta primũ corruptibilitatis modũ suprà expositum. Major constat, quia cuilibet potentiæ passivæ respondet sua activa, & quod naturaliter est corruptibile, vel, quod habet naturalẽ corruptibilitatis potentiam, habet quoq; causam naturaliter corrupentem, si corrumpi debeat. Minor probatur, quia anima rationalis est spiritus. Agens verò naturale in entitatem immaterialem & spiritualement agere, eamque ab esse ad non esse perducere nequit.

§. 21. Conclusio II. contra opinionem secundam §. 3. & 7. inter alias allatam : *Anima rationalis aliquot seculis à corpore separata nullò modò tandem naturaliter dissipatur.* Hæc conclusio est contra *Stoicos*, & ex eo ostenditur, quòd anima rationalis suâ naturâ est substantia simplex. Ergo non potest instar fumi dissipari, aut in sua principia resolvi; ex talibus enim constaret, necessum esset. Jam autem implicat contradictionem, esse substantiam simplicem, & ex principiis aliquibus conflata esse. Sicut & implicat, dissolvi in aliqua principia, & ex nullis cõstare.

§. 22. Conclusio III. *Anima rationalis à corpore separata non transit de corpore in corpus.* μετεμψύχωσις hoc infringitur discursu : Si anima humana post separationem à suo corpore migrat in aliud corpus, hoc vel erit corpus alicujus bruti, vel aliud corpus humanum. Sed neutrum potest affirmari. Ergo anima rationalis non migrat è suo corpore in corpus aliud. Min. prob. primò in genere. Nam ut anima inhabitet atque infor-

B

met

met aliquod corpus, requiritur, ut illud convenientibus dispositionibus, pro animæ receptione, sit instructum, quia diversitas dispositionum facit, ut una eademque anima diversis corporibus uniri, ac illa informare nequeat. Hoc pulchrè docet *Aristoteles lib. 1. de anima cap. 3. t. 53.* inquiens: *De susceptivo autem corpore nihil amplius determinant, tanquam possibile sit secundum Pythagoricas fabulas quamlibet animam quodlibet corpus ingredi: Oportet enim artem quidem uti instrumentis, animam autem corpore, videntur enim unumquodque propriam habere speciem & formam.* Si igitur anima post prius relictum corpus migraret in aliud, utique illud eodem relictæ corporis dispositionum apparatu instructum esse deberet. Sed tale corpus animæ rationali à corpore sejunctæ ita proportionatum, neque inter humana, neque inter brutorum corpora dari potest. Ergo nec migrabit vel in corpus bruti, vel in aliud corpus humanum.

§. 23. Quæ res, ut plana & perspicua evadat, sciendum, quòd de identitate & diversitate dispositionum ad informationem animæ requisitarum, dupliciter loqui possimus: vel *de identitate secundum speciem*, h. e. quando dispositio & constructio corporis est conveniens speciei & animæ, quæ dat speciem; Quomodo dispositio & constructio corporis humani est eadem in omnibus individuis humanis, diversa v. à dispositione & constructione corporis aliorum animalium, & dispositio quoque atque constructio corporis equini eadem in omnibus individuis hujus speciei, & diversa à dispositione & constructione corporis in aliis animalibus, ut homine, leone, &c. Vel *de identitate secundum numerum & conditiones individuales*, h. e. quando cujusque individui humani aut equini corpus, præter omnes speciei dispositiones, habet proprium temperamentum, propriam figuram, propria lineamenta, propriam staturam, &c. quæ huic individuo convenient, & non aliis, & quibus individuum unum ab alio, ut Petrus à Paulo, Bucephalus ab alio equo, &c. differat.

§. 24. Hoc præmissis, probamus *secundò* minorem in specie *1. de corporibus brutorum*, quòd animæ rationales post mortem ista non intrent & occupent, quia illa planè sunt disconvenientia animabus humanis, nec habent dispositionem atque structuram

ram

cturam animæ rationali convenientem, sed prædita sunt dispositione secundum speciem diversâ, ab eâ, quâ animæ rationales gaudent. Argumentamur ita: Quæcunque corpora non habent dispositionem & structuram animæ rationali convenientem, in illa corpora anima separata non immigrat. Sed corpora brutorum non habent dispositionem & structuram animæ rationali convenientem. Ergo in corpora brutorum anima separata non immigrat.

§. 25. Deinde; ex ista animæ rationalis separatæ cum corpore alicujus bruti, ut equi vel canis, &c. conjunctione vel prodiret homo, vel canis, aut equus, aut tertium ex istis, ut *ἰππῶν θρωπος*, *λυκῶν θρωπος*, aut *κυνῶν θρωπος*, &c. At non homo; homo enim non est, nisi qui constat corpore humanô & animâ rationali; nec canis aut equus, siquidem canis non est, nisi qui constat animâ & corpore canis, similiter nec equus, nisi qui constat corpore & animâ equinâ &c. Relinquitur itaque, quod anima rationalis immigrans in corpus equi, &c. & se cum eo socians præstet & sistat *ἰππῶν θρωπον*, quod est auditu absoum. Et hoc est, quod in Scholis Philosophorum dicitur & docetur, duas formas specificas & ultimas non posse unam informare materiam.

§. 26. Nec est, ut dicas, animam separatâ tunc non esse formam informantem, sed assistentem. Etenim (1.) forma assistens, quæ sit forma substantialis Physica, nulla est, siquidem ei definitio formæ substantialis Physicæ non competit. (2.) Cui bono hîc forma assistens? Hanc enim dicunt esse causam motus in eo, cui assistit. At verò motus animalium non est à principio extrinsecûs adveniente & assistente, sed ab interno principio & à propria eorum naturâ. Et (3.) motus animalium non procedit ab anima rationali. Sanè repugnat nobilissimæ huic formæ, motus talis esse principium. Est enim motio actio commercium habens cum materia. Animæ verò rationalis actiones nullum commercium habent cum materia, *Arist. 2. de gener. anim. cap. 3.*

§. 27. Prob. 2. de corporibus humanis, quod anima rationalis post mortem non intret aliud corpus humanum numerô ab eo, quod reliquit, diversum. Nam corpus illud, quod anima Pauli ingreditur, aut est *ἔμψυχον* aut *ἀψυχον*. Si illud; anima

separata id non potest immigrare, eique se associare, siquidem
tam ex parte corporis, quam ex parte animæ repugnat. Non e-
nim (1.) idem numerò corpus informari potest duabus formis ul-
timis & singularibus; nec (2.) duæ formæ ultimæ & singulares in-
formare possunt unum numerò corpus, sive unam numerò ma-
teriam. Unius enim numerò materiæ unus est numerò actus, u-
na numerò forma ultima, & vicissim.

§. 28. Hac in re non est, ut dicas, animam transmigran-
tem in aliud corpus hominis viventis esse ejus formam assisten-
tem. Hujus enim assertionis nulla apparet ratio. Nec ullum
indiciū est, animæ informanti aliam supervenire. Et aliās in
homine est sufficiens principium omnium operationum & actio-
num, quas edit & perficit. Imò Natura dum cuilibet corpori de-
stinat formam unam, id in sua specie constituentem, eandem
destinat causam specificè in suo corpore operantem. Et expe-
rimur omninò, operationes provenire ab eadem forma, quæ in-
format, & rem in esse suo constituit.

§. 29. Si verò anima separata migraret in corpus *αψυχον*, il-
lud aut esset corpus noviter pro illa anima efformatum & produ-
ctum, aut corpus alicujus hominis demortui. Non hoc, quia
tale corpus non est susceptivum animæ. Ideò enim ab anima
sua derelictum & exanime redditum fuit, quòd animæ sustinen-
dæ aptum amplius non erat. Imò ne quidem corpus humanum
dici meretur, cum qualitate talis corporis, calidò quippe nativò
extinctò, exutum sit. Deindè, posito, animam Pauli demortui
transire in corpus Petri demortui, aut indè prodiret suppositum
Petri, aut suppositum Pauli. Sed neutrum affirmari potest. Non
illud, siquidem suppositum sive persona Petri requirit corpus
Petri, h. e. constitutionem & temperamentum corporis Petri, nec
non ejus structurā, magnitudinē, figurā, omniaq; ejus lineamenta,
&c. Deberet ergo corpus Pauli mutari in corpus Petri, quòd natu-
ræ planè est ignotum, eique incongruum & impossibile: Non
hoc; siquidem parili ratione corpus Petri mutari deberet in cor-
pus Pauli, ut, illius dispositionibus & accidentibus abjectis, hujus
introducantur, adeoque extractio & constitutio corporis Pauli
emergat pro anima Pauli, quòd itidè naturæ ignotū est, ejusq; or-
dini contrarium, & ei planè impossibile.

§. 30.

§. 30. Nec II. prius affirmari potest, nimirum, non potest afferri, pro animab. separatis nova efformari corpora, siquidem & hoc Naturæ ordini planè contrarium est. Et quis unquam talia corpora vidit? Et unde tot corpora recenter efformata pro innumerabilibus animarum myriadibus, quorum corpora tùm peste extincta, tùm clade publicâ interempta, prodirent? Eorundem effector aut Deus esset, aut aliqua Creatura. Quorum tamen neutrum affirmari potest.

§. 31. Conclusio IV. *Anima rationalis post mortem existit in statu quodam separato.* Ubi non necesse est, ut hæc conclusio aliis rationibus statuminetur, cum præcedentes conclusiones hanc inferant. Nam si anima humana simul cum suo corpore, non extinguitur, neque post separationem tandem dissipatur, neque è suo corpore transit in corpus aliud vel bruti, vel hominis, relinquitur utique, quòd subsistat & persistat in statu quodam separato. Sed prius est verum, ut patet ex præcedentibus. E. etiam postetius.

Sectio II.

Proponens definitionem animæ separatæ.

§. 1.

Hucusque in eo fuimus, ut existentiam *animæ separatæ* ostenderemus; proximum nunc est investigare ejus quidditatem, sicuti hunc docendi ordinem modumq; præscribit *Philosophus lib. 2. post. cap. 1.* ajens: *γρόντες ὅτι ὅτι, πὶ ὅτι ζήτῶμεν.* Definimus autem *animam separatam*, quòd sit *substantia immaterialis finita, à corpore, cujus actus & forma erat, per mortem sejuncta, ad idemque naturalem propensionem habens, cum eoque reuniri gestiens.*

§. 2. Hic I. generis locò ponitur *substantia immaterialis finita.* In hoc enim convenit cum Angelo, qui quoque *substantia immaterialis seu spiritualis finita est.* Dividi enim solet spiritus in finitum & infinitum, vel juxta alios, in creatum & increatum, aut dependentem & independentem. Spiritus independentis & infinitus est Deus; Spiritus verò dependentes & finiti sunt Angeli & animæ hominum, animæ rationales dictæ. Hi spiritus

in eo, per quod à Deo distinguuntur, conveniunt. Distinguuntur autem à Deo per τὸ dependens & finitum esse. Est itaque finitas commune prædicatum Angeli & Animæ rationalis. Ad genus ergo attinebit Animæ Separatæ, non ad ejus differentiam.

§. 3. Hoc igitur totum erit genus: *substantia immaterialis finita vel spiritus finitus*; sicuti est quoque cum speciebus corporis naturalis: *cælum est corpus naturale simplex; elementum est corpus naturale simplex*. Differentiæ enim superiores fiunt pars conceptus generici in inferioribus, ut e. g. homo est corpus vivum sentiens, rationale, h. e. animal rationale.

§. 4. Animam separatam esse substantiam immaterialem & spirituaalem, relictum fuit ex *sect. anteced.* Eam autem esse spiritum finitum, ex eo patet, quia terminos essentiæ suæ habet. Terminos essentiæ, dico; non enim intelligimus eam finitatem, quæ secundum quantitatem est, & terminis quantitatis definitur; sed eam, quæ ratione essentiæ est, h. e. quæ terminos essentiæ suæ habet. Et quia unum tantum ens infinitum est, nempe Deus, ut hîc supponimus, animam non esse spiritum essentiæ infinitæ, sed finitæ, consequitur.

§. 5. Dicitur II. in definitione: *A corpore per mortem sejuncta*. In hoc est formalis ratio animæ separatæ, ut quidem separata est. Suprà enim dictum fuit, quòd geminus sit animæ nostræ status: conjunctus, & separatus; Ille est in homine vivo, hic post hominis mortē. Sicut enim vita est in animæ & corporis conjunctione, ita mors in animæ à corpore separatione. Hîc anima, quia cum corpore suo non interit, sed superstes manet, separatim (à corpore sejuncta) degit, vivitque.

§. 6. Dicitur porrò III. in Differentia: *Cujus* (sc. corporis) *actus & forma erat*. His verbis notatur status animæ conjunctus, qui præcessit, & quem, homine morte interempto, deposuit. Aptata nata enim est esse cum corpore, & esse sine eo, sive extra corpus. Illud quidem, quia est destinata & data forma constituendæ speciei humanæ; hoc, quia à corpore nullam in esse, fieri & operari habet dependentiam; utrumque ex ordinatione Creatoris. Si enim extrinsecus datur atque inspiratur anima rationalis in generatione hominis, itidem, quando homo interit, à cor-

à corpore separari, & extra illud existere potest. Quod posterius præsupponit illud prius, ut, si asserti hoc & defendi debeat, illud fundamentum præbeat, cui assertio innitatur, ceu præclare ostendit communis Germaniæ Præceptor, Philip. Melanchthon in *Libel. de anim. fol. m. 11.* ubi videatur.

§. 7. Perspicitur ex hisce, quòd anima rationalis sit entitas media inter animas materiales & Angelos. Illæ enim si earum, tum entitatem, tum munus respicias, h. e. si fieri, si esse, si informare, si operari earum respicias, secundum omnia ista à materia dependent; Angeli verò nullam omnino à materia aut corpore habent dependentiam, h. e. nec in fieri, nec in esse, nec in informando, (ne quidem enim formæ informantes sunt,) adeoque nec in operando à materia aut ullo corpore dependent. Anima verò nostra rationalis, ut dictum, mediæ est naturæ; partim enim à materia est libera, partim ei alligata. Non est alligata materiæ, quâ esse, fieri & operari, unde, quâ illa priora (fieri & esse) entitas immaterialis & spiritualis dicitur; respectu hujus postremi verò h. e. ratione operationum, *inorganica* vocatur, & eius operationes *inorganice* dicuntur. Est verò alligata corpori quâ informationem, quamdiu cum eo est conjuncta.

§. 8. IV. Per ista verba: *à corpore, cujus actus & forma erat; per mortem sejuncta*; Anima separata distinguitur 1. ab Angelis, qui nullius corporis formæ & actus sunt; 2. à se ipsa in statu conjuncto. Nimirum, quæ prius unita corpori erat, ut constitueret & poneret hominem in specie sua, morte sejungitur à corpore, ut à munere informationis liberetur, & omnimodè libera existat.

§. 9. Dicitur denique V. in *Differentia: propensionem habens ad corpus, cum eoq; reuniri gestiens*. Quæ definitionis particula non tam explicatione, (intellectu enim est facillima) quàm probatione opus habet. Probamus igitur eam h. m. Omne incompletum naturaliter tendit ad perfectionem completi. At anima separata est quid incompletum. Ergo anima separata naturaliter tendit ad perfectionem completi, adeoq; ad unionem sui cum corpore. Minorem nemo negat; Major probatur: quia omne imperfectum tendit ad perfectum, ut ad finem. Perfectum hoc

hoc non est aliud, quam ens completum in specie sua. Tale autem ens est corpus ex materia & forma, ut homo ex anima & corpore rationali constans.

§. 10. Contrarium tribuitur Scoto *in lib. 4. dist. 43. quest. 2. art. 3.* & afferri solent eam in rem sequentes rationes: 1. Quia sic anima extra corpus constituta pateretur violentiam. 2. Quoniam anima ad id, à quo nihil perfectionis accipit, nullam habeat propensionem. Sed anima à corpore nihil perfectionis accipit, ut potius ab eo imperfectior reddatur, siquidem ei immergitur, & adstringitur; Er. 3. Quòd anima separata nullâ naturali viâ ac causâ reuiri corpori possit, sed virtute supernaturali & divinâ. Ergo anima non habebit naturalem inclinationem ad unionem corporis.

§. 11. Ad primam dicimus, non statim id, quod habet inclinationem ad aliquid, hoc ipso in statu violento esse. Patet res, si syllogismo includatur: Quicquid habet propensionem ad aliquid, id hoc ipso est in statu violento. Sed anima separata extra corpus existens habet propensionem ad idem suum corpus. Ergo anima extra corpus existens est in statu violento. Major infringitur instantiis: Lapis in terra quiescens habet propensionem ad motum deorsum. Er. lapis in terra quiescens est in statu violento. Conclusio est falsa; Ergo aliqua præmissarum; Non Minor; ergo Major.

§. 12. Altera hoc syllogismo includitur: A quocunque anima separata nihil perfectionis habet, ad id nullam habet propensionem. Sed anima separata à corpore nihil perfectionis habet. Ergo anima separata ad corpus nullam habet propensionem. Respond. Majorem esse falsam. Et si ista ratio valeret, nulla forma appeteret materiam. Jam verò hoc falsum est, & contra naturæ institutum. Inde enim edocemur, formam appetere materiam, tanquàm suum perfectibile, sicut contrà materia appetit formam, tanquàm suum perfectivum. Estque hic appetitus mutuus, & fit utrinque diversâ de causa. Materia quidem formam appetit, ut perficiatur; Forma verò materiam, non ut perficiatur, sed ut perficiat, quatenus omne bonum & perfectum est communicativum sui; vid. *Anton. Ruvio in 1. phys. tract. 1. q. 6. n. 44. p. 85.*

Sic

Sic in præsentē negotio anima separata habet propensionem ad suum corpus, non ut ex eo (tanquam ex subjecto) perfectionem aliquam nanciscatur, sed ex fine, ut constituat speciem, & hoc ipso suam obtineat perfectionem.

§. 13. In tertia objectionē negamus consequentiam. Nam non quælibet potentia sive naturalis inclinatio ad actum requirit itidem naturalem viam ac causam ad illum, sicuti constat de potentia visiva in cæco. Hic utiq; naturalem habet potentiam ad actum videndi, quamvis nulla naturalis causa detur, per quam ad actum deduci queat. Simili modò se res habet cum forma respectu suæ materiæ, & in specie cum anima separata respectu sui corporis, à quo olim secessit. Hic, quòd reunio animæ cum suo corpore fit à causa supernaturali, non obstat, quò minòs anima habeat naturalem propensionem ad suum corpus. In talibus enim præscindendum est à causa efficiente vel perficiente, & potentia sive propensio naturalis in re subjecta spectanda, sive sit agens naturale, sive supernaturale, quod potentiam ad actum perducatur, & extrema, quæ propensionem ad se mutuò habent, jungat & unum faciat.

Sectio III.

exponens

Operationes animæ separatæ.

§. 1.

DE hisce breviter acturi, præmonemus, geminam esse animæ rationalis operationem, sicuti & geminam potentiam; intelligendi nimirum & volendi sive appetendi; Illius actus est *intellectio*, hujus verò est *volitio* sive *appetitio*, vel, ut aliquibus placet, *objecti cogniti amatio*.

§. 2. De actione intelligendi ut concinnè & distinctè suscipiamus tractationem, prænotandum i. impræsentiarum actionis nomine venire eam, quæ (monente Zabarella ub. de sensu agent. cap. 5.) spiritualis dicitur, & nihil reale vel in vel extra se, sed solum speciem sive imaginem alicujus entis realis producit. Hoc pacto anima rationalis agit, spirituales aliquam speciem, hoc est, formam tantum, non formam in materia producendo. Sic species vel forma lapidis & leonis representantur in intellectu, removendo entia illa realia, quæ leo & lapis dicuntur.

C

§. 3. Quod

§. 3. Quod igitur ad hunc actum attinet, certum est, illum animam à corpore excedentem in statu separato adhuc exercere, & sic actualiter cognoscere. Hoc ut manifestum fiat, notandum, 1. certa esse cognitionis intellectivæ requisita, inter quæ primò est facultas ipsa intellectiva; Secundo principia cognitionis in intellectu, quæ sunt species & habitus; Tertio objectum cognitionis. Hæc cognitionis requisita in anima separata locum habere, & ad exercendam cognitionem concurrere, sequentibus assertionibus manifestum faciemus.

§. 4. Assertio prima: *Anima separata habet facultatem intellectivam.* Est enim potentia hæc (1.) non affixa organo corporali, sicut aliæ facultates humanæ materiales, sed est immixta, ut patet 3. de anima cap. 4. t. 6. 7. h. e. nullum cum corpore ejusque actione commercium habens, lib. 2. gen. anim. c. 3. (2.) non est realiter distincta ab anima rationali, sed est à parte rei ipsa anima rationalis, ut proindè separatâ animâ, separetur quoque illa cognoscendi *divinis.* Argumentum potest esse tale: Quæcunq; à parte rei sunt unum, eorum uno separatò, separatur & alterum. Sed anima rationalis & intellectus sive potentia cognoscendi à parte rei sunt unum. Ergo eorum uno separatò, separatur & alterum.

§. 5. Secunda Assertio: *Anima separata prædita & referta est speciebus intelligibilibus.* Assertionem hanc sequenti argumentò stabilimus: Ubi cunq; datur recordatio, ibi sunt species intelligibiles reservatæ. Atqui in anima separata datur recordatio, ut Sacra testatur Pagina. Ergo in anima separata sunt species intelligibiles reservatæ. Consequentia Majoris patet, quia recordatio propriè est eorum, quæ iterum in mentem vocantur, quales sunt species in ea reservatæ, non quæ à Deo menti infunduntur. Vid. *Dd. Conimbricenses disp. 3. de anim. sep. art. 3. & B. Scheiblerus, Preceptor meus aternâ veneratione dignus lib. 2. Met. cap. 5. art. 2. n. 111.*

§. 6. Tertia: *Anima quod, cum à corpore excedit, habitus, quos sibi in hac vita comparavit, (de quibus supra in §. 3.) secum asportat & retinet.* Quod secum asportet, nullum est dubium; quod verò eas retineat, (1.) ex eo probatur, quod nullæ sunt causæ, quæ istos habitus destruant. Imò (2.) nullus habitus quoad substantiâ de perditur, nisi actibus contrarii habitus è subjecto expellatur. Sed ejusmodi habitibus contrariis eorumve actibus habitus ani-
mæ

mæ in altera vita non possunt expelli, siquidem ibi contrarii habitus non dantur. Ergo habitus acquisiti in anima non deperdentur, cum à corpore excesserit, sed ipsa retinebit eos.

§. 7. Quarta: *Anima in statu separato non est sine objecto cognitionis vel formaliter, vel materialiter considerato.* Addimus notanter: *vel materialiter considerato*; ne quis opinetur, nostram affectionem solùm loqui de objecto formali, h. e. de intelligibili, ut tale est. Patet autem assertio *primò*; siquidem habet pro objectis animas alias & Angelos; habet item pro objecto Deum, ejusque visionem; imò denique seipsam. *Secundò* patet quoque de rebus materialibus. Quis enim negaverit; animæ in statu separato objecti locò esse mundum, easque res, quas hinc cognitas habuit, inter quas eminent humana natura. Et annon cognoscet suum corpus, quod in hac mortalitate informavit, & cū quo reuniri gestit, appetitque? Annon anima istorum omnium species secum hinc asportavit, secumque retinuit, ut in prospectu suæ cognitionis positas eas haberet?

§. 8. Postquàm demonstrata sunt requisita cognitionis in anima separata, quæ eam constituunt in actu primo ad operandū, nunc de actu secundo, qui est cognitio ipsa, non dubitamus. Si enim animæ nostræ vis intelligendi non fuit sine actuali cognitione, dum ipsa corpori suo in hac fragilitate & imbecillitate naturæ fuit conjuncta, nec actuali cognitione destituetur in statu separato, quoniam hic est purior & eminentior statu conjuncto; maxime, quòd in anima separata dantur omnia ad actualem cognitionem requisita. Imò anima rationalis quanta quanta est, cognoscitiva est, & actualem cognitionem in ea nullus status impedit.

§. 9. Progredimur nunc ad alteram animæ separatae operationem, quæ dicitur *volitio*, quam reverà ei inesse à nemine in dubium vocari poterit, qui modò advertit, animam *diviuis* suas, sive vires agendi, in quocunq̃ue etiam sit statu, non deponere. Deinde, idem relinquitur ex demonstrato actu intelligendi. Nam quæcunq̃ue substantia pollet actu intelligendi, ei quoque competit actus volendi. Sed anima separata pollet actu intelligendi, ceu probatum est. Ergo anima separata etiam pollet actu volendi. Accedit, quod facultatum istarum una alteram movet, & altera aliam dirigit; *Voluntas sc. movet intellectum ut in objecto o-*
sten-

stendat ei varias rationes convenientiæ & disconventiæ , & proponat medium appetendi indifferens. Intellectus item dirigit voluntatem, conferendo ei iudicium suum, quid & quomodo ex objecto amplecti debeat.

§. 10. Actus hic volitionis eodem modo se habet extra corpus, ac se habebat in corpore; quemadmodum enim hîc, præeunte notitiâ intellectivâ, voluntas circa objectum propositum triplicem in operando habet varietatē, aut volēdo, aut nolendo, aut suspendendo & cohibendo omnem actū suū, *Perer. lib. 8. de causis cap. 9.* Sic adhuc ibi eadem gaudet libertate, & positis sibi duobus pluribusque mediis ad bonum cognitum acquirendum eligit quodcunque vult, & non cum determinatione ad unam partem, sive necessitate physicâ agit, sicut alia agentia naturalia per modum naturæ dicuntur appetere.

§. 11. Atq; sic ea, quæ naturali lumine considerari de anima separata possunt, breviter pro ratione instituti nostri perpendimus, & in medium proposuimus. Multa quidem de nobilissima hac doctrina supersunt, quæ maximâ partem ad Scholas Theologorum spectant; verum nos de eisdē agere & differere aliis relinquimus. Reliqua verò, quæ in hac naturæ imbecillitate de anima corpore exutâ cognoscere non valemus, ad futuræ felicitatis statum remittuntur.

Δυὰς ἀναγραμμάτων.

I.

M. JOANNES ZEISOLDUS.

κατὰ μετασχησίωσιν,

LAUS ZENONIS, MEDIOS.

Est tua *laus* major *Zenonis* laude vel ipsâ,
nesciaque est *medios* fama subire rogos.

II.

HEINRICUS BROEKELMAN, TREMONIANUS.

K. in C.

NON MIRER, BENE COLIT MUSAS, HINC VERA.

Serta meo Civi Musæ quod nectere coeptent,
non mirer, studium myrtea sarta manent.

Odit pigritiam, sacrasque colit bene Musas,
hinc ipsum meritò gloria vera manet.

Sincero animo faciebat,

Zacharias Ennichmann.

F I N I S.


AB: 67 $\frac{13}{e,7}$


ULB Halle

3

005 949 122








B.I.G.

Farbkarte #13

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue



PHILOSOPHICA

SEPA-

TA,

jutore Divino

ESIDIO
RI

Excellentissimi

S ZEISOLDI,

hiæ Naturalis Professoris

mi, Dn. Præceptoris & Pro-

vantia cultu nunquam

ndi, devene-

di,

ruditorum examini

nit

S Bröfelmann/

Guestphalus.

Februarii.

oc LVII.

is consuetis.

VÆ

S I A N O.

3

3.

